

CONCIO VI.

CUR HOMO Igitur ad imaginem Dei conditus sit.

- I. Ut ceteræ creaturæ revererentur hominem, etc. —
 II. Ut sciremus hominem esse quid Dei proprium. —
 III. Ut esset, cum quo Deus familiariter ageret. —
 IV. Ut homo ex seipso in cognitionem sui creatoris venire posset. — V. Ut pateat quantum intersit inter Dei benignitatem et hominis malignitatem. — VI. Ut esset homo æternitatis et quasi divinitatis capax. — VII. Ut esset index opificis.

THEMA.

Cujus est hæc imago? Matth. XXII.

Colligimus, auditores, e Genesis initio, ex omnibus creaturis solum hominem prævia quasi consultatione sanctissimæ Trinitatis creatum esse; siquidem in aliarum rerum creatione dixit Deus: *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria, producant aquæ, producat terra, etc.* et continuo facta sunt. At in hominis creatione aliter locutus est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, quasi prævia consultatione hominem creare vellet. Quare, nisi fallor, ostendere voluit, tantam esse imaginis suæ dignitatem et excellentiam, ut si res humana ratione æstimaretur, merito in consultationem vocari posset, utrum expediret homini eam communicare; siquidem omnis homo mendax, labilis et peccabilis erat futurus, et ita fieri poterat, ut Deus ipse vilesceret in imagine sua. Unde celeberrimus ille philosophus Pythagoras, ut testatur S. Cyrillus, tract. contra Julian. monebat in suis symbolis, ne quis imaginem Dei sculptam gestaret in suo annulo, ne Deus contemptui fieret. Quanto magis igitur timendum erat ne vilis redderetur Deus, si imaginem suam imprimeret homini, quem sciebat a se degeneraturum ac bestiarum potius formas et naturas assumpturum? Itaque si Pythagoræ, si nostram, et forte si angelorum opinionem Deus secutus esset, suam imaginem in nobis nequaquam impressisset. Unde David, Ps. VIII. exclamat: *Quid est homo, quod memor es ejus* (in Hebr. habetur: *Quid est enos*, id est, obliviosus?) q. d. quare tantam dignitatem confers in hominem, qui tam cito obliviscitur suæ dignitatis et brutescit? Sed enim secretissimo SS. Trinitatis consilio aliter placuit, decretumque est facere hominem ad imaginem et similitudinem suam: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Conabi-

mur tamen indagare si non causas, saltem rationabiles congruentias divini hujus consilii. Septem causas enumerat Bened. Pererius, in Gen. lib. IV. Videamus singulas.

I. Ut res omnes creatæ revererentur hominem, velut universi rectorem: et ne cœli et astra homini inservire aut etiam angeli ministrare dedignarentur, denique ne dæmones hominem lædere, neve propter hominis rebellionem omnes creaturæ in eum insurgere auderent, in quo imaginem Dei expressam cernerent. Nam si illam ab homine demas, superatur naturæ præstantia ab angelis; pulchritudine a stellis, liliis agri et floribus, pavonibus; durabilitate a cœlis; robore a leone, equo; corporis vastitate ab elephante, bove, ceto; pernecitate a lepore, cane, delphino; longævitate a cervis et corvis; visu a lynce et aquila; olfactu a cane, vulture; auditu a talpa, apro; musica ab aviculis; dialectica a canibus; astrologia a delphinis, ramis, mergis, hirundinibus. Unde ratione harum dotum nullæ creaturæ hominem observarent, ut quæ eum longe excedunt. Non obstantibus tamen istis, et astra homini lucent et cœli rotantur: deinde, ut teste Seneca, epist. LXXXV. ait philosophus: « Leonibus magister manum insertat, tigridem custos suos osculatur, elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua et ambulare per funem, » præterea equos frænis domat; tauros jugo alligat; aviculas decipit; pisces vel solo aspectu terret; omnia denique, etiam ipsi angeli ei inserviunt; quia nimirum in eo Dei imaginem cernunt. Quemadmodum enim Joseph patriarcham Ægypti, Mardocheum Persæ et Medi, Judæos licet et alioquin infimæ sortis homines summopere reverebantur atque observabant flexoque genu adorabant, quod is annulo regis Ægyptii, hic vero regis Persarum diademate insignitus esset: ita et creaturæ hominem, quod Dei insignia et imaginem gestet, suspiciunt ac timent. Imo ne aliquando propter hominis rebellionem insurgerent in eum, et ipsi quoque rebellarent, voluit in homine indelebilem sui imprimere imaginem, ut etiam rebellem vereri cogerentur: unde et post diluvium hominibus dictum est a Deo, Gen. IX. *Terror vester ac tremor sit super omnia animalia*. Quod figuratum est in Caino, in quo posuit Deus signum, ne ipse rebellis licet, ab obviis quibusque seu hominibus seu bestiis, tamquam læsæ diviniæ majestatis reus occideretur, Gen. IV. Unde mirari et laudare Dei bonitatem debemus qui etiam post rebellionem nostram contra creaturarum incursus defendere nos voluit.

II. Ut intelligeremus, hominem esse quid Dei proprium et peculiare, quod ipsi proprie debeatur. Omnia quidem Deus homini donaverat et subjecerat, ipsum tamen hominem divini juris et possessionis esse voluit; ac propterea sigillo imaginis suæ eum communivit: quomodo res charissimæ et peculiariter custodiendæ proprio sigillo notantur, ne a quopiam attraherentur. Et hoc quidem adeo firmiter homini impressit, ut inde avelli nullatenus queat; sed indesinenter hominem redarguat, quotiescumque se, non Deo, sed mundo et diabolo addicit; sicut servum fugitivum arguit stigma impressum. Inclytus ille sculptor Phidias, ut auctor est Aristoteles, l. de mundo ad Alexandr. Minervæ clypeo suam effigiem tam artificiose inculpserat, ut ea nisi confracto clypeo eximi non posset: ita etiam Deus imaginem suam homini tam scite impressit, ut deleri nequeat. Conantur quidem sæpe impii exterminare facies suas, et syndæresis igniculum extinguere, quominus iram Dei sibi imminentem, judicium et gehennam metuere cogantur. « Sed quæ supervenit forma, inquit S. Bern. serm. LXXXII. in Cant. obscurare ingenitam potuit, sed non exterminare. Remurmurat adhuc nativa et consortem alteram veluti peregrinam respuit. » Quis non putet abolitam penitus fuisse Dei imaginem in superbissimo illo rege Nabuchodonosore, qui ad extremum fœnum ut bos comedit, donec capilli et unguis ejus in similitudinem aquarum crescerent, Dan. IV. neque tamen extinctus in eo fuit rationis igniculus: quin potius tunc: *Oculos suos ad cælum levavit et Altissimo benedixit*, atque ita sibi ipsi restitutus est et pœnituit. Non potes igitur, o homo, a Dei potestate et servitio ac possessione ullatenus liberari; nam: *Cujus est hæc imago? Nonne Dei? Da ergo Deo quæ Dei sunt. Væ tibi si mundo ejusque vanitati, carni ejusque lasciviæ, diabolo ejusque pompis te ipsum dederis; quia sacrilegium committis, Dei possessionem furaris et alteri inique vendis; itaque arguet te imago Dei, conscientia tua: sicut insignia appicta produnt furem, qui rem alienam alteri vendit. Sed ad quid tradere me Deo debeo, inquis? Respondeo ut filius patri, eum amando et timendo, quem facie representas: ut miles suo duci, ei in omnibus obsequendo et fidem servando, ut dispensator hero suo, ejus bona fideliter dispensando: ut mancipium domino suo, ei serviendo et operando: discipulus magistro suo, ei te tradendo, ut ab eo perficiatur et illuminetur imago illa per gratiam et tandem per gloriam.*

III. Ut esset, quocum familiariter ageret Deus,

et se quasi recrearet. Quemadmodum enim quia nullum animalium inveniebatur Adæ simile, cur quo familiaritatem et amicitiam contrahere posset; creavit Deus Evam ei similem et sociam, qua visa mox lætabundus quasi exclamavit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, ita creatis rebus irrationalibus cum nulla esset Deo similis, cum qua familiariter agere posset, fecit hominem ut esset quem amaret, et a quo vicissim amaretur, amore amicitia. Unde alias quidem creaturas Deus approbasse dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*. De homine autem longe aliter locutus est, nimirum: *Delectabar per singulos dies in orbe terrarum, et deliciae meæ esse cum filiis hominum*, Prov. VIII. Solent principes viri adsciscere in aulam nobiles adolescentes et viros, quibuscum familiariter conversari, lusui et venationi operam dare possint. Similiter etiam Deus adscivit sibi hominem propria imagine nobilitatum atque ut cum eo familiarissime conversari posset, de cœlo ad eum descendit, ut jam cum Jobo: *Quid est homo quia magnificas eum? Aut cur apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo?* (in incarnatione,) hoc enim ideo facit, quia ad imaginem Dei factus est homo adeoque nobilissimus Dei aulicus est. Qua ex re concludo, hominem strictissime obligari ad Deum amandum, et vanitates respiciendas. Quis enim nescit similitudinem, esse causam amoris? refert Vine. in hist. l. XXXVII. c. CLXII. Pipino Francorum regibus pueros in aula fuisse, nobili progenie: alterum quidem comitis Alvernensis filium, alterum milite quodam Bericano ortum. Mirum, cum vultu essent apprime similes, eademque fortuna Romam ducerentur ac forte fortuna, apud Lucam, Italiæ urbem, sibi mutuo obviarent, eademque die baptismo Romæ tingerentur, deinceps fratrum instar mirum in modum se amabant. Vide igitur homo, quid debeas Deo tuo, qui te sibi similem fecit, ut quomodo is te dilexit et amplius diligere cupit, ut quoque eum diligas: *Et dicam tibi o homo, inquit Michæas, c. VI. quid Deus requirat a te; utique sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Sollicitum inquam, quomodo aulici cum principe ludentes, loquentes aut conversantes sollicite cavent, ne vel eum offendant, vel ipsum deserentes, cum pueris aut scurris nugas tractent. Quid enim, putas, dicet supremus ille rex tuus, si tu eo spreto et deserto, amorem et conversationem tuam omnem mundo et carni impendas? Non audis quid Ps. VIII. dicat: *Fili hominum usquequo gravi corde, etc.* (in Hebr. habetur: *Filii viri usquequo inclyti mei ad ignominiam diligentes vanitatem, quaritis mendacium?*)

IV. Ut homo haberet in seipso, unde in cogni-

tionem sui creatoris et opificis facilius devenire posset. Quamquam enim : *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, (ad Rom. I.) ne tamen homo eam notitiam extra se et aliunde quærere cogere, posuit Deus in ipso pulcherrimam sui imaginem, quæ in eo quasi in speculo reluceret et exemplar ipsum ac creatorem Deum representaret, ac longe quidem expressius, quam omnes creaturæ aliæ, siquidem in illis vestigium tantum aliquod Dei cernitur, quod ipsum non aliter representat, quam sicut effectus causam, fumus ignem. Quare quando homines Deum quærunt, uti apud Davidem, Ps. IV. *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona?* respondetur : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Protogenes aliquando ex unius subtilissimæ lineæ ductu, quam Apelles in illius absentis officina descripserat, continuo auctorem Apellem agnovit, ut referet Plinius, lib. XXXV. c. X. (siquidem dicebat, non facere alium, opus tum absolutum) ita non difficile est homini cognoscere auctorem suum, si lineam illam subtilissimam, animam inquam rationalem in officina corporis sui descriptam intuetur; qualis enim est imperfecte hominis animus, talis est perfectissime, remotis imperfectionibus, Deus : animus noster est intelligens; intelligentissimus Deus : animus omnia potest ac cupit intelligere; Deus actu omnia intelligit : animus suscipit innumeras rerum diversissimarum imagines sine ulla sua immutatione; Deus omnium rerum ideas in mente gerit, sine omni sua mutatione : animus omnia membra vivificat; multo magis id potest et facit Deus omnibus viventibus : animus est in unaquaque corporis parte totus et indivisus; ita in universo Deus : animus noster libertate præditus est; quanto liberior Deus : animus noster virtute, sapientia, gratia perficitur; quanto perfectior in his Deus : animus corpus conservat, regit, continet; similiter Deus mundum. Ex qua cognitione illud sequitur ut homo, qui in seipso cognoscit velut in speculo Deum ut exemplar suum, eundem etiam imitetur. Sicut enim imago in speculo tota dependet a corpore, et omnes illius gestus imitatur; eo stante stat, ambulante ambulat, ridente ridet, flente flet, etc. ita et homo imitari Deum debet : siquidem viva ejus imago est, non mortua. Unde in Hebr. pro *imaginem*, habetur *umbram*; ut sicut umbra sequitur et imitatur corpus, ita sequatur homo Deum. Quare recte S. Leo papa, serm. de jejunio dixit hominem ad imaginem Dei conditum : *Ut imitator sui esset auctoris, et hanc esse naturalem generis nostri dignitatem : Si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis formaresplendet.*

V. Ut palam esse quantum intersit inter Dei bonitatem et benignitatem, atque hominis malignitatem et invidiam. Homo enim si re aliqua excellat, velut divitiis, potentia, nobilitate, honoribus ac sapientia, nollet quemquam aliorum hominum sibi ea re parem aut etiam similem esse. At Dei tanta est bonitas tamque omnis expers invidiæ, ut quibus rebus excellit ipse, earum capacem et principem fecerit hominem et quidem omnibus quibus poterat modis. Fecit enim sibi similem in naturalibus, provehendo eum ad summum naturæ gradum, intellectuum scilicet : et rationis capacem, adjungendo ei libertatem : similem in supernaturalibus, faciendo eum virtutum, gratiæ, et gloriæ participem. Habes hic igitur, o homo, cur mireris Dei bonitatem et tantum tibi collatum bonum sedulo conserves.

VI. Ut posset homo æternitatis, infinitatis ac divinitatis quodammodo esse capax, nullumque esse tantum bonum, quod non auderet a Deo petere, imo impetraturum se speraret. Cum enim Deus nihil vacuum in natura reliquerit, nec quidquam frustra fecerit : nobis autem infinitam quodammodo mentis et voluntatis capacitatem dederit (quia sicut intellectu nostro cognoscere summum bonum possumus : ita et per voluntatem appetimus) possumus Deo fidenter dicere : Domine, imple hoc vacuum, hanc capacitatem, hunc appetitum nostrum; cum nihil vacuum reliqueris, nihil frustra feceris. Non potest autem appetitus noster contentari bono finito, cum sit ipse infinitus, sicut nec vas rotundum repleti nisi a corpore similiter rotundo; nec sigilli expressi vacuitates et partes omnes nisi ab eo sigillo, a quo illud expressum est. Figura hujus nostri appetitus videtur fuisse mensa illa in tabernaculo constituta ad plagam septentrionalem, Exod. XIV. in qua semper duodecim panes jacebant et per singula sabbata permutablebantur recentibus. Talis enim mensa est nostrum, in quo licet plura apponas et semper nova, quæ appetit, etsi lautissima sint, mutanturque in dies, nauseabit tamen brevi super omni re creata. Ratio, quia mensa cordis nostri instar acus nauticæ semper ad plagam septentrionalem, id est, ad cœlestia bona respicit, versus illa posita est, iis solis satiari potest. Unde S. Aug. l. I. conf. « Fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te : » et Ecclesiasticus, c. XVII. *Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem suam fecit illum, et iterum convertit illum in ipsam*. Qua ex doctrina collige, frustra omnes illos laborare, qui terrenis bonis satiari cupiunt, quia nequeunt ullo modo explorare capacitatem mentis infinitam : Deus potest

VII. Ut esset index opificis totum hunc mundum fecit. « Quemadmodum enim, inquit Theodoret. in Gen. si quispiam rex, cum maximam urbem excitasset, multisque et variis operibus adornasset, imaginem suam, maximam decantissimamque in urbis medio collocaret, ut hac imagine regem hujusce urbis auctorem conditoremque indicaret, quem omnes urbis habitatores venerarentur et gratias agerent, quod si urbem construxisset : eodem modo Deus postquam mundum condidit, hominem ad imaginem suam a se creatum in eo, tamquam imaginem propriam collocavit, cui omnes creaturæ deservirent. » Certe etiam imperatores olim sua decreta annulo subsignabant, propria imagine insignito, teste Plin. l. XXXVII. c. I. Suet. in Aug. c. V. Par ergo erat ut etiam Deus mundi sui fabricam imagine sua condecoraret. Jam vero quis nescit, læsæ majestatis reum haberi, qui imaginem regis in publico positam conspurcavit, deturparet, vel injuriis appeteret? Sane Theodosius imp. delere statuerat Antiochiam, quod Antiocheni ipsius et Placillæ conjugis imagines deiecissent, et per plateas traxissent; nisi Flaviani Episcopi et monachorum precibus fuisset placatus, ut scribit Niceph. l. XII. c. XLIII. Quid ergo faciet Deus illi, qui imaginem ejus in aliis hominibus lædit, vel etiam in semetipso peccatis et sceleribus conspurcavit, et, quantum in ipso est, deturpat? Quin imperatoris imagini cornua, asinorum aures, avium rostrum et similia belluarum membra appingeret, nonne magnam imp. injuriam irrogaret? At hoc facit homo imagini Dei, graviter peccando. Audi S. Chrys. homo. IV. in Matth. « Quando ut asinus calcitras, ut taurus superbis, libidine incensus sic hinnis ut equus; quando in epulis ursorum imitatis voratum, et pinguedine corpus mulorum more distendis; cum exercenda similitate camelum, lupum imiteris rapina; cum irascaris ut serpens, et atrocitate scorpionum percutias; cum subdole insidieris ut vulpes, cumque veneno malignitatis armeris ut coluber et vipera; cum quasi diabolus ipse adversus fratres crudelia suscipias; quoniam unquam modo, qua ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens humanæ signa naturæ? » Et mox : « Verum hoc est multo deterrimum, quod tamen cum omnium vitiorum squalore torpemur, nec intelligimus quidem nostræ animæ fœditatem, nec ejus prorsus deforme cognoscimus. Nam tu quidem apud tonsorem residens diligenter capitis tui attendis comam. Sumpto siquidem speculo, multo cum studio, summaque cura æqualitatem consideras, et nitorem capilli : nec tamen in imagine tui temetipsum inspexisse contentus, tum ipsum arti-

ficem, tum alios adstantes sollicitè, homo jam senex non vereris juvenili stultitia insanus, interrogare, an alicubi incomptius manus prope-rantis operata sit, an satis deceat frontem leniter attonsa cæsaries : animæ vero nostræ, quæ non solum deformis est, verum etiam ferarum omnino conformis, et quæ Scylla aliqua, vel chimæra (ut fabula celebrat) affecta est, nulla nos cura, nulla sollicitudo unquam remor. etc. » Quare, auditores, nos ipsos sedulo examinemus, ejus imaginem geramus. Tametsi enim Dei imaginem nunquam perdere omnino possimus, ubi tamen ea vitis fœdata est, non agnoscit illam Deus; quod expertæ fatuæ illæ virgines, quibus dixit : *Nescio vos*. Venit aliquando hora, in qua examinabimur : *Cujus est hæc imago?* Et siquidem imaginem Dei gratia illustratam gesseris pro Filio Dei agnosceris : si vero peccatis deformatam, pro filio diaboli.

CONCIO VII.

HOMINIS PRÆCIPUA MEMBRA QUARUM RERUM SINT IMAGO.

I. Caput, hominis dignitatem indicat. — II. Oculi, intellectum representant. — III. Cerebrum, memoriæ typus. — IV. Facies, conscientiæ figura. — V. Nares, rationis imago. — VI. Aures, judicii norma et typus. — VII. Lingua, instruit loquelam. — VIII. Manus, operationem informat. — IX. Digni, decalogi observationem insinuant. — X. Pedes, appetitus utriusque figura sunt.

THEMA.

Cujus est hæc imago et superscriptio? Matth. XXII.

De Socrate scribit Laert. l. II. consuevisse eum adolescentes forma præstantes ad speculum adducere, ut seipsos contemplarentur, ne quid indignum gererent tali forma et venustate. Recte et Christiane; sic enim Eliphaz apud S. Job ad hoc ipsum speculum omnes nos adducit quodammodo, dum ait, c. V. *Visitans speciem tuam non peccabis*, q. d. statue te coram speculo et vide cujus sit hæc imago et abstinebis a peccatis. Perspexerunt isti corporis humani structuram, effigiem, figuram, membra sic a Deo efformata esse, ut eorum inspectu satis superque admonerentur homines, quid sibi agendum sit ad bene beateque vivendum, adeoque etiam quales secundum animum esse debeant. Propterea Plotinus dicebat corpus esse *imaginem*; Pythagoras esse *thecam mentis*, utcumque eam exprimentem; quod fit ut non in anima solum, sed etiam in corpore nonnulla Dei imago agnoscenda sit.

quam si accurate inspiciamus, deprehendemus etiam in illo Dei legem nobis præscriptam esse, juxta id Ps. IV. *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Verum quia lumen hoc pauci videntur agnoscere, pauciores perlustrare, ideo in hoc sermone conabor auditores meos ad speculum adducere et interrogare: *Cujus est hæc imago?*

I. Capitis constructio hominis dignitatem omnibus sublunariis rebus majorem manifeste indicat. Etenim primo, sphericam figuram, quemadmodum universum; cujus imaginem quamdam refert. Ibi oculi bini, quasi solis et lunæ duo luminaria: ibi venti ut aer, halitus oris et narium: ibi pluviae, pituita per nares de cerebro destillans: ibi lapides, dentes, et ossa: ibi silvæ et plantæ, barba et capilli: ibi valles et colles, oculorum cavitas, genarum ac frontis tumor: ibi fontes et rivuli, venæ sanguinum per caput diffusæ: ibi duo quasi cælorum poli, binæ scilicet aures. Quæ omnia ostendunt maximam hominis excellentiam, admonentque eum officii sui, ut quemadmodum omnia creata serviunt Deo et ad nutum parent; ita et ipse Deo exactissime obediat, præsertim quia etiam ipsi velut orbis imperatori omnia subiecit Deus, ut tanto magis homo subiceret se Deo creatori suo.

Secundo, erectum est, non in terram pronum: unde poeta canit: *Os homini sublime dedit, cælumque videre.* Causam exponit Lactantius Firmian. l. de opificio Dei, c. VIII. *Ut eadem spectet, unde illi origo est.* Hominem igitur cælo natum ideoque cælestem patriam sibi destinam quærere ac conservationem suam in cælo habere debere ostendit. Deicit seipsum a culmine nobilitatis suæ, qui relictis solidis et cælestibus bonis, fluxa et terrena quærit, non secus ac si princeps rusticam puellam amaret. Unde jure merito S. Bernardus ad eos, qui terrenis inhiant: *« Non pudet, inquit, te corpore cælum suspicere et mente in terra reperere? Caput sursum et cor habere deorsum? »* Empedocles rogatus cur viveret? *Ut cælum, inquit, aspiciam. Tolle cælum et nullus ero.* Rectius ac verius respondebit Christianus: *Ut cælum non tantum aspiciam, sed et consequar.*

Tertio, supremum in corpore locum obtinet, eminetque super omnia membra, ut discat homo per rationem præesse et imperare sensibus, appetitibus et passionibus suis, et hæc quidem sint velut equus, ratio velut equus. Quare si se homo subiciat passionibus suis, perinde est, ac si caput gerat infra pedes, vel bovis instar capite depresso in pratibus pabuletur, uti expressit David, Ps. CV. dicens: *Mutaverunt gloriam suam in simi-*

litudinem vituli comedentis fœnum. Unde S. Bern. ser. XXIV. in Cant. ait: *« Erubescere anima mea divinam in pecorinam commutasse similitudinem: erubescere volutari in cœno, quæ de cælo es: erubescere anima (ait corpus) in mei consideratione. Creatura similis creati recta, me quoque accepisti adjutorium simile tibi, utique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis: »* et mox: *« Me ergo meam (quam tui gratia accepisti) retinente et servante prærogativam, tu quomodo non confunderis amisisse tuam? »* Hæc Bern.

II. Oculi hominis intellectum ejus repræsentant. Simillimum enim amborum est officium, et quod iste in anima præstat, hoc illi in corpore exequuntur. Per intellectum spiritualia contemplamur: per oculos corporea intuemur. Unde D. Chrys. hom. XXI. in Matth. ait: *« Quod oculus corpori, hoc intellectus est animæ: jam ergo primo sicut oculus in capite velut speculator in specula vigilat corpori, omnia circumspiciens et de insidiis hominem admonens: ita vigilare debet intellectus semper; omniaque investigare, an utilia vel noxia sint. »* Quemadmodum igitur in corpore, subdit cit. loc. Chrys. hoc maxime providemus, ut oculos habeamus incolumes. sic etiam in anima intellectus conservemus salutem. » Hinc enim natura oculum palpebris contextit et superciliis munivit, ne facile posset lædi; nos etiam contra ictus natura instructrice præ omnibus aliis membris oculos tuemur, brachiis objectis; quia si vel minimus pulvis incidat in oculum, jam eclipsin patitur oculus et corpus male regitur. Pari ergo, imo longe majori studio servandus intellectus, ne cupiditatibus turbetur et passionibus, velut iræ, avaritiæ, lasciviæ, et ebrietatis, quæ prorsus eum excæcant.

Secundo, duo sunt hominis oculi, qui tamen per lineam rectam semper coeunt in idem objectum, efficiendo conum seu pyramidem; ita ut non possimus uno oculo cælum, altero terram videre: ita duo quoque in intellectu sunt lumina, supernaturale fides, naturale ratio; illa est magistra, hæc ministra; proinde et ipsæ in idem semper convenire objectum, in eandemque conspirare sententiam: ut fides quidem credenda revelet, ratio autem persuadeat ea esse liberiora necnon credenda esse. Rursum in intellectu duplex distingui solet ratio: superior quæ considerat rationes æternas; inferior quæ temporales. Debent ergo et istæ in unum coire terminum, ut ratio quidem inferior sequatur superiorem, et temporalia omnia ordinet ad æterna bona. Neque enim simul attendere ad Deum et ad mundanitatem poteris, servire Deo et mammonæ.

III. Cerebrum memoriæ uti sedes, ita et typus est. Ut enim cerebrum juxta physicos duas habet pelliculas, quibus tegitur et servatur, tenuem unam, quæ pia mater dicitur; alteram duram, quæ dura mater appellatur: ita et memoria nostra, quæ duo maxime retinere solet, injurias et beneficia, duas habere cuticulas debet, teneram et duram: illa quasi pia mater includere injurias, facile ignoscendas obliviscendasque; hæc vero beneficia nunquam e memoria deponenda. Etenim res pretiosæ et utiles diligenter asservantur, cistis includuntur, seris muniuntur: non item viles et inutiles. Pretiosas est beneficium igitur memoriæ, quæ animæ nostræ cista est, et scriba, ut ait Arist. fortiter includenda seduloque inscribenda: vilis vero et inutilis est injuria, non ergo tam tenaciter memoriæ commendanda, sed per piam matrem facile remittenda. Hinc D. Isid. ep. CCXI. ad Eust. ait: *« Inimicitiam in aquam scribere oportere, ut quamprimum oblitteretur; amicitiam in æs incidere, ut perpetuo firma servetur. »*

Rursum quia cerebrum supremum in homine locum obtinet cæloque proprius est, quam cætera membra, hinc non obscure docet, cælestia potius quam terrestria, Deum quam creaturas ipsi commendanda et in mente habenda esse. Hoc enim S. Tobias pro extremo monito et ultima voluntate sua filio inculcavit: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum,* c. III. similiter et Moyses populo Hebr. jamjam moriturus id ipsum cerebro commendat, Exod. VIII. *Cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui:* et paulo infra: *Recorderis Domini Dei tui.*

IV. Facies conscientie typus est; quia teste D. Bernardo, serm. I. in e. jejunii et auctore op. imperf. hom. XV. hominis interna facies et spiritualis est conscientia; per quam placemus Deo vel displicemus, sicut hominibus per faciem externam, in qua natura plurimum gratiæ et pulchritudinis reposuit. Primo itaque, sicut naturali instinctu præcipue observamus faciem, ne sordida appareat, ideoque eam in speculo contuemur, ut fœdatam abstergamus, non contuemur alia membra: ita prima nostra esse cura debet, nitor conscientie; cui curæ S. Paulus a tempore conversionis suæ semper invigilavit, uti testatur ipse Act. XXIV. *In hoc et ipse studeo, inquit, sine offenculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper.* Eadem cura Augustino prima et sola fuit cujus hoc celebratur dictum: *Senti de Augustino, quidquid velis; sola me conscientia non accuset.* Esto igitur ut male audiamus, rudes et illitterati simus: nesciamus aulicos mores: simus abjecti et odiosi hominibus:

non attendamus ad ista: sed ad solam conscientiam, ut sana sit et pura.

Secundo, facies hominem accusat, cum conscientia sibi arguitur, (nisi forte depuduerit) illico enim erubescit, dum sanguis de corde in faciem procurrit, quasi licitor reum proditurus ita debet conscientia post admissum scelus hominem accusare, rodere et lancinare donec respiscat et errorem emendet. Bonus est faciei pudor, bonus et conscientie remorsus; si tamen audiatur. Pessimum hominis signum est, non erubescere de peccato; quemadmodum etiam non sentire post peccata conscientie remorsum. Quare non imitemur turpia animalia, elephantem et camelos, qui ob faciei deformitatem non volunt bibere ex limpida, sed turbant prius aquam quod etiam faciebat aliquando Augustinus nendum conversus, qui in sua confessione de seipso fatetur: *Posueram me Domine ad scapulas meas, ut me non viderem: et tu posuisti me coram facie mea, ut me videns corrigerem.* Multo minus imitemur muscas impudentia animacula, qualis fuit Caligula imp. qui dicebat: *Se nihil magis in sua natura probare, quam inverecundiam;* voce, non imperatore, sed carnifice et meretrice digna. De talibus enim ait Jeremias, c. III. *Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere:* et D. Gregor. in Psal. I. pœnit. *Illud verum est apertæ desperationis indicium si verecundia non sequitur peccatum.*

V. Nares rationis imago sunt. Ut enim naribus odorum differentiam; ita duce ratione exploramus mediorum et finum, ad quos tendimus, naturam. Hinc ratione utentes dicuntur nasuti gnari, et veteribus nari, a narium sagacitate, qua inter animantia excellit canis, qui solo narium ductu feras indagat. Jam vero in sola facie humana elevatior prominet nasus, ut moneatur homo omnibus suis actionibus præviā adhibere rationem, explorando fini et mediis, quid agendum quid omittendum sit: unde etiam vulgo dicimus: *Sequere nasum et non errabis.* Solent certe boves et capræ pabulum suum prius odoratu explorare, antequam attingant; et cur hoc in suis actionibus homines non faciant? Priusquam emas rem, prius licitaris et convenis de pretio: sic agendum in peccandi occasionibus et illecebris, et si Dei et salutis propriæ jactura constant, dicendum cum Demosthene: *Non emo tanti pœnitere;* jacturam scilicet decem millium drachmarum, quæ postulabat ab eo nobile illud Corinthi scortum, Lais. Et quia narium canalus unus tendit ad cerebrum, alter ad palatum: ideo tam quæ ad corpus, quam quæ ad animam confovendam nobis offeruntur,